

**Dissertatio medica inauguralis. De purgantibus ... / Eruditorum examini  
submittit Philippus Douw.**

**Contributors**

Douw, Philip.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Abrahamum Kallewier, 1739.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bw768af6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S.  
D E  
P U R G A N T I B U S.

Q U A M

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. ALBERTI SCHULTENS,  
S.S. THEOLOG. DOCT ET LINGUARUM ORIEN-  
TALIUM PROFESSORIS, COLLEGII THEOLOG.  
ILLUST. AC PRÆPOT. ORDINUM HOLL. ET  
WESTFRIS. REGENTIS, MSS. ORIENTA-  
LIUM LEG. WARNER. INTERPRETIS.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
*& Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

PHILIPPUS DOUW, *Medioburgo Zeelandus.*

*Ad diem 24. Julii hora locoque solitis.*

---

L U G D U N I B A T A V O R U M,  
Apud ABRAHAMUM KALLEWIER, 1739.

DIGESTATIO MEDICO  
IN AURALIIS  
DE

# PURGATORIUM

M A U S

卷之三

*CONSULTISSIMO DOCTISSIMOQUE*

V I R O

D. JACOBO DOUW, J. U. D.  
ET ADVOCATO CELEBERRIMO, PATRI  
SUO USQUE AD SUPREMUM VITAE HA-  
LITUM SEMPER COLENDO.

NEC NON

*NOBILISSIMO AMPLISSIMO CONSUL-  
TISSIMO VIRO*

D. OMARO VAN VISVLIET,  
J. U. D.

NOBILISSIMI COLLEGII ARCHITHALAS-  
SICI QUOD IN ZEELANDIA EST ADVOCA-  
TO FISCI, COLLEGII MAGISTRATIBUS  
NOMINANDIS IN INCLYTA MEDIOBUR-  
GENSIUM CIVITATE DUODECIMVIRO. A  
CELSISSIMIS AC POTENTISSIMIS FOEDE-  
RATI BELGII ORDINIBUS AD SPLENDI-  
DISSIMUM, QUI CUM LEGATIS CAESAREAE  
SUAE ET CATHOLICAE NEC NON REGIAE  
MAGNAE BRITTANNIAE MAJESTATIS,  
ANTVERPIAE SUPER COMMERCIО ALIIS-  
QUE REBUS, CELEBRATUR CONSESSUM,  
HOC TEMPORE DEPUTATO ETC. ETC. FRA-  
TRI SUO PER AFFINITATEM DILECTIS-  
SIMO.

*Hanc Dissertationem  
Inauguralem*

D. D. D.

PHILIPPUS DOUW.

DISCUTIENSIS DOCTRINÆ

4110

D. IVACOBO DOM. IUD.  
LT ADLOCATO CELEBERRIMO, PASTRI  
SUS USQ[UE] AD SUPREMUM VITÆ HA-  
BITU[m] SEMPER Q[UA]NDICO.

Et inde non

VADIMISSUM MULIERUM CORTA  
TISSED VTHO

D. EMERIO VAN VIZELIET  
I. U. D.


NOMISSEMI COLLEGI ARGENTINAE  
RICI Q[UA]D IN SECTANDIA EST ADLOCAT  
TO H[AB]ET COFFIC MAGISTRATIB[US]  
MUNANDIS IN INFLUENTIA MEDIOBR  
CENSU[m] CIVITATE DODROMA[RE]. A  
ESTRIBUS AC LOTENTISSIMIS RODDE  
KATT BREGE ORDINAB[US] AD SPLENDI  
DISSEMINUM Q[UA]NTITATIB[US] CAFSARIAE  
SUET ET CATHOLICAE NEC NON KEGIAE  
MAGNAE RITUALIAE MATERIAS  
YNTAERIB[US] SURR COMMISSIO ALHE  
Q[UA]M REAGE CELEBERRATOR CONSILII  
HIC TESMORIE DEPUTATO E[st] ET TRA  
TRI SUO PRÆ AFFINITATEM DILECTIS  
SIMO.

H[AB]ET Q[UA]NTITATEM

— Q[UA]NTITATEM

D. D. D.

PHILIPPS DOMA.



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O MEDICA  
INAUGURALIS.  
DE  
PURGANTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

*De Etymologia, Synonymia & Definitione.*

§. I.



purgare est aliquid mundum efficere & a  
furdibus liberare; Medicis hinc latissi-  
mo sensu purgare corpus est, ea, quae  
praesentia sua corpori nocent, quocun-  
que modo & ratione, quacunque via,  
ducere & foras eliminate, per vomi-  
tum, alvum, urinam, sudorem &c.;  
ergo tali ratione omnia evacuantia, E-  
metica, Diuretica Sudorifera, men-  
ses moventia, Errhina, & alia hujus  
generis, purgantia dici queunt. Purgare contracta signifi-  
catione est, per vomitum vel alvum evacuare; usus tamen ob-  
tinuit, ut stricte de ea evacuatione, quae per alvum fit, intel-  
ligatur, de qua nunc sumus acturi.

Patet hinc Purgantia medicamenta nomen ab actione acce-  
A 3 pisse,

## DISSERTATIO MEDICA

pisse, quia corpus, evacuando inquinamenta sive materiem peccantem, mundificant.

## §. 2.

Haec evacuatio, stricte dicta, Latinis dicitur Alvi purgatio (a), vel simpliciter purgatio; Celsus (b) dejectionem, alvi dectionem vocat; Graecis vero Catharsis audit.

## §. 3.

Medicamentum, hanc evacuationem promovens, Graecis catharticum vocatur, quae vox etiam civitate Latina donata est, dixit enim Celsus medicamentum Catharticum (c); Plinius appellat medicamentum Smegmaticum (d), Caelius Aurelianus purgationem & medicamen purgativum (e) vel ventrificum (f), Symmachus Purgatorium medicamentum (g), alii Purgans.

## §. 4.

Antiqui per vocem hanc, *Medicamentum*, citra adjectionem, intellexerunt maxime illud, quod vim purgandi habet; sic Celsus, ubi loquitur de Purgatione, *Medicamenta*, (inquit ille), *stomachum fere laedunt* (h), secutus forte Hippocratis loquendi modum, qui *Pharmacum* frequenter & absolute pro Purgante ponit, ut asserit Wedelius (i). Monet autem Galenus (k), quod Hippocrates verbum, quod sonat pharmaco sive medicamento uti, usurpare siveverit in iis, qui non quodvis, sed purgans duntaxat medicamentum sumserunt. Hippocrates utitur saepe hoc verbo, eodem sensu, in suis operibus, & voce *Pharmacia*, pro purgatione, opponens eam Phlebotomiae sive Renae sectioni (l). Caelius Aurelianus posuit etiam absolute Medicamen, pro purgante (m): sic Galli hodie adhuc loqui solent, dicunt enim, *une medicina*, pro medicamento per alvum evacuante.

## §. 5.

- (a) Cic. de Nat. D. L. 3. C. 22. (b) Lib. 2. C. 12. (c) L. C.  
 (d) Hist. Nat. L. 31 C. 7. (e) Acut. morb. L. 2. C. 19. &  
 morb. Chron. L. 1. C. 1. (f) Morb. Chron. L. 1. C. 4. (g) Lib.  
 6. Epist. 64. (h) Lib. 2. C. 12. (i) Amoenit. mat. med. L. 2.  
 Sect. 2. C. 3. (k) Comment in Aph. 37. Sect. 2. (l) Aph. 47.  
 Sect. 6. (m) Acut. morb. Lib. 2. Cap. 29.

## §. 5.

Purgatio est materiei morbosae, in intestinis crassis atque tenuibus contentae, aut aliunde in haec derivatae (n), per intestinum rectum & anum, evacuatio.

## §. 6.

Medicamentum tali virtute (s.) praeditum, nobis dicitur purgans, sive Catharticum: vel si mavis, definiemus quod sit medicamentum peculiari principio purgante donatum. Principium purgans autem est, quod vi sua purgante, quam exercit, corpore vivo internè vel externe applicatum, se dignoscendum praebet.

(n) Boerhave Instit. med. §. 1209.

## CAPUT SECUNDUM.

*De Purgationis Origine.*

## §. 7.

**C**onstat ex Monumentis historicis, ut & fabulosis Purgantium usum esse antiquissimum. Herodotus (a), Historicorum antiquissimus, & post eum Diodorus (b), memoriae tradidere, Antiquos uulos fuisse medicamine, unde purgabant & vomebant, & Aegyptios jam Purgantia adhibuisse. Cicero Purgationis inventum tribuit Aesculapio, *Tres fuere Aesculapii*, inquit Pater eloquentiae (c), tertius alvi purgationem invenit. Putat tamen Le Clerc (d), omnes hos Aesculapios ad unum referri posse, qui forte fuit Aegyptius vel Phoenicius; quia annales Graecorum, a quibus sua habet Cicero, non sunt adeo antiqui ac illi Aegyptiorum; 2º. quia secundum Doctorum sententiam, Asclepius, unde Latinorum Aesculapius, felicius derivatur a vocibus Phoeniciis, *Is Calaphot*, quae vitum cultri denotant, quam

ab

(a) Lib. 2. (b) Biblioth. Historic Lib. 1. (c) Cic. de nat. Deor. L. 3. c. 22. (d) Hist. de la Med. L. 1. c. 18.

## DISSERTATIO MEDICA

abulla voce Graeca. Ergo Aesculapius est antiquior, quam quidem Graeci credidere, aut ad summum fuere duo Aesculapii; Phoenicius unus, alter Graecus.

Melampus, qui videtur vixisse ante expeditionem Argonautarum (in qua tamen Aesculapius Graecus fuisse dicitur), jam medicamen purgans adhibuit (e), si vero Aesculapius Phoenicius hoc invenit, longe ante Melampi tempora cognita fuit purgatio. Hippocratis temporibus jam diversa purgantia cognita fuere v. g. Helleborus, Elaterium, Colocynthis, Scammonium &c. Elaterium vero jam in usu erat inter Medicos Cnidios, ante Hippocratis tempora & Hellebore usus Melampo tribuitur. Si Plinium sequeremur, forte statuendum esset, homines purgationis usum a brutis didicisse, afferit enim, homines brutorum ductu in medicinae inventionem venisse (f); hinc pudendum, inquit, omnia animalia, quae sint salutaria ipsi, nosse praeter hominem (g)? dixerat ante, hippopotam nobis Venaesectionis exemplum dedisse (h), & avem Ibin homines docuisse clismata per anum injicere; quae tamen veritati consentanea esse afferere non ausim: Melampum tamen a capris suis helleborum gaudere vi purgante, didicisse ferunt; sed credibile est, Melampi capras potius casu, quam instinctu quodam in hanc plantam incidisse.

## §. 8.

Visis iis, quae de Purgationis origine & antiquitate, ex historicis monumentis circiter cognosci possunt, restat ut videamus, quid de iisdem, ex ipsius rei natura, ratiocinio assequi queat.

1º. Animadverterunt, sine dubio, antiqui, quod homines, stricta alvo, aut repleto ventriculo & intestinis, male se haberent; hinc verosimile est, eos tunc cogitasse de faecibus hac occasione evacuandis.

2º. Forte quis, nihil de ea re cogitans, comedit vegetabile quoddam, quo alvus vacuata fuit, & inde se melius habuit; notarunt hinc tale vegetabile pro usibus, ut si in posterum alvum ducendam esse conserrent, idem vegetabile propinarent, & sic instituerunt experimentum.

(e) Galen. de atr. bil. c. 7. (f) Plin Hist. nat. L. 25. c. 7. (g) Idem ibid. L. 27. c. 13. (h) Idem ibid. L. 8. c. 26.

# INAUGURALIS.

9

3º. Forsan advertendo, aegros per diarrhaeas sponte obortas sanitatem recuperare, naturam imitari annisi sunt; per ea, quæ casus fortuitus docuerat alvum movere.

4º. Fortasse etiam instituere experimenta in animalibus, exhibendo illis varia, quorum efficacia illis erat incognita, ut effectum viderent; atque ita vires, ut aliorum, sic purgantium detexere: quod aequa Priscis quam recentioribus potuit tentari (i).

## §. 9.

Antiquissimum, quod habemus, adhibitae purgationis exemplum, nobis a Melampo praebetur; vixit ille ante bellum Trojani tempora, Pastor pro more filiorum Regum, ipsorumque Deorum, Vates & Medicus. Adverterat capras suas Helleboro pastas purgari; hinc filiabus Proeti Regis, insanientibus, niugientibus, utpote in vaccas conversas se putantibus, Lac ex caprarum suarum uberibus, post Hellebori passionem emulatum, aut Helleborum ipsum exhibuit, easque sanavit; unde haec planta dicta fuit Melampodium, & ipse Melampus Cathartes, id est, qui purgat (l).

Alii tradunt Hellebori usum inventum fuisse a quodam ex Anticyra, hujus plantae feracissima, cui nomen erat Ptolomeo Hephaestionis filio; hac planta purgabantur insanii, in hanc Insulam missi, hinc Horatius de homine parum integrac mentis sic canit,

*Naviget Anticyram (m)*

*Tribus Anticyris caput insanabile (n)*

& ubi de avaris loquitur, quos pro insanis habendos esse censet, & inde Helleboro curandos.

*Danda est ellebori multo pars maxima avaris (o)*

CA-

(i) Le Clerc. Hist. de la med. L. 1. c. 18. (k) Dioscorides L. 4. c. 181. Plin. Hist. nat. L. 25. c. 5. (l) Servius in Virgil. Georg. L. 3. (m) Horat. Lib. 2. Sat. 3. v. 166. (n) Idem in Art. Poët. V, 300. (o) Idem Lib. 2. Sat. 3. v. 82.

B

CA-

10 DISSERTATIO MEDICA

CAPUT TERTIUM.

*Purgantium Catalogum exhibens.*

§. 10.

**H**elleborus, quantum scire licet, videtur esse purgantium antiquissimum (§. 9.) Cnidii Medici, qui pauca adhibebant medicamenta (*p*), usi sunt Elaterio ante Hippocratem. Dein Principis illius medicinae rationalis, Hippocratis temporibus, varia jam cognita erant purgantia, plura enim passim in operibus ejus, (modo quæ ad nostra usque tempora pervenere, omnia sint genuina); commendantur, v. g. peplium (*q*), quod Tithymali sive Esulae species esse creditur; Scammonium (*r*); Colocynthis sive cucumis agrestis (*s*); Cnicus (*t*); qui pro Carthamo habetur, Hippophaë (*u*), quae species Rhamni esse putatur; grana Cnidia (*v*), quae Semina Tyneleae; Helleborus sive veratrum (*x*); elaterium (*y*), quod est cucumeris asinini succus; Lapis Magnesius (*z*), qui Magnetis species (*a*), Lapii Magneti autem vim humores crassos educendi tribuit Dioscorides (*b*); Thapsia (*c*), & papa-

ver

(*p*) Hipp. de rat. ve&t. in morb. acut. in principio. (*q*) Idem ibid. (*r*) Idem de morb. mulierum Lib. 1. & 2. (*s*) Idem de superfœtatione; de nat. mulieb. & de morb. mulier. Lib. 1. (*t*) Idem de vi&t. rat. Lib. 2. (*u*) Idem de internis affectionibus. (*v*) Idem Ibid. & de morb. mulier Lib. 2. (*x*) Idem de vi&t. rat. in morb. acut. & de vi&t. rat. Lib. 1. (*y*) Hipp. de morb. vulgar. Lib. 6. Sect. 5. No. 33, & de superfœtatione. (*z*) Idem de internis affectionibus. (*a*) Plin. nat. hyst. Lib. 36. (*b*) Lib. 5. cap. 148. (*c*) Hipp. de morb. mulierum Lib. 2.

ver album, quod etiam inter purgantia retulit (*d*), & forte est Tithymali species, afferit enim Plinius (*e*), aliquod papaveris genus Tithymalum esse dictum. Unde patet Antiquos adhibuisse purgantia validiora, Draistica dicta, quae pro maxima parte sursum deorsumque, vel violenter deorsum evacabant.

## §. 11.

Dein temporis successu purgantia plura in scholam medicam introducta fuere; Dioscorides, praeter pleraque memorata, Euphorbium (*f*), Agaricum (*g*), Ebulum (*b*), Epithymum (*i*), aliaque recenset; Paulus Aegineta (*k*) lapidis Armeniaci mentionem facit; Arabes his addidere Myrobalanos (*l*), Turbeth (*m*), Lazuli lapidem. Post novum orbem detectum aucta fuit purgantium copia, etenim attulerunt nobis inde Mechoacannam, dein Jalappam, & ut quibusdam placet Gummi guttae. Hisce addi possunt, Bryonia, Gratiola, Soldanella sive brassica marina, & praeparata varia mercurialia, aliaque quae brevitatis ergo hic omitto.

## §. 12.

Haec omnia solent referri ad classem purgantium fortiorum, quorum tamen quaedam non ita violenter agunt, ut Mechoacannae radix (*n*), quae lenius agit quam Jalappa; Agaricum, quod a quibusdam inter purgantia leniora numeratur; myrobalani species quinque, in quibus vis purgans adeo exigua deprehenditur, ut fere dubitetur, an ad laxantia, an potius ad adstringentia debeant referri (*o*).

## §. 13.

Licet apud medicos antiquos Graecos purgantium drastico-  
rum

(*d*) Idem de nat. mulieb. (*e*) Nat. Hist. Lib. 20. c. 19. (*f*) Dioscorid. Lib. 3. cap. 96. (*g*) Idem L. c. cap. 1. (*b*) Idem Lib. 4. cap. 175. (*i*) Idem L. c. cap. 179. (*k*) Lib. 7. cap. 3, Aetius Tetrab. 1. Serm. 3. cap. 32. & Dioscorid. Lib. 5. cap. 105. (*l*) Wedel. Amoenit. Mat. Med. Lib. 2. Sect. 2. cap. 4. (*m*) Idem L. c. c. 5. (*n*) Memoir. de l'Academ. Royal. des Scienc. An. 1711. (*o*) Wedel. 1. c. cap. 4.

rum usus sat frequens fuerit (§. 10.), non tamen illis leniora defuere, quibus alvum ducerent; adhibuerunt enim Cnidii in hunc scopum lac ejusque serum (p). Hippocrati familiaris erat usus non tantum lactis asinini, sed & bubuli, caprini, equini, & seri lactis (q), quandoque lacti addebat mel, aut aquam multam. Ut his, sic aliis lenissimis interdum alvum ciere tentabat; hunc in finem adhibebat succum ex Decoctis emollientium herbarum, & olerum mollissimorum, v. g. Decoctum Mercurialis cum aequali parte ptisanae & paucō melle (r), succum Betae vel Brassicae (s), huic salem, illi mel adjiciebat; si a talium usu non purgarentur, foliorum sambuci succum dabat (t); in his enim, ut & in fructibus horaeis maturis, ventrem solventes vires inesse, optime novarat (u). Meminit etiam Polypodii, & medicamentorum ex salibus compositorum (v), ad pituitam educendam.

§. 14.

Deinde, aliquot post Hippocratem seculis, leniora quae-  
dam his adjecta fuere purgantia; Dioscorides primus Aloës (*x*);  
& Rhei (*y*) mentionem fecit; Rhei tamen vim præcipuum  
adstringentem esse asserit, virtutis autem purgantis primus me-  
minisse videtur Paulus (*z*). Fructus Cassiae quidem nomen oc-  
currit in operibus Hippocratis (*a*); & Cassiae in libris Diosco-  
ridis (*b*), cui vires leniter adstringentes tribuit, Cassiam verò  
purgatricem iis fuisse cognitam negant auctores, hinc potius  
ad Arabum medicorum tempora refertur. Nec Antiquis inco-  
gnitæ fuere aquæ medicatae sive minerales diætae, ut patet ex  
Plinio, qui jam de earum usu egit (*c*), Galenus memorat (*d*),

(p) Hipp. de rat. viet. in morb. acut. (q) Idem ibid. & morb. mulier. lib. 1. & lib. de interna affect. saepe. (r) Idem de morb. Lib. 2. (s) Idem ibid. & de intern. affection. (t) Idem de morb. Lib. 2. (u) Idem de viet. ration. Lib. 2. (v) Idem de morb. mulier. lib. 1. (x) Lib. 3. cap. 25. (y) Idem ibidem cap. 2. (z) Lib. 1. cap. 43. (a) Lib. de nat. mulieb. (b) Lib. 1. cap. 12. (c) Nat. Hist. lib. 31. cap. 6. (d) De Sanitat. tuend. Lib. 4. cap. 4.

usum obtinuisse, bibere verno tempore & au&gt;umnali aquas sulphureas, bituminosas, nitrosas, ut purgaretur alvus. Tandem Arabes multorum medicamentorum simplicium, quae antiquos Graecos latuere, quibusque scientiam medicam locupletavere, cognitionem, per scripta sua, nobiscum communicaverunt (*e*), iis enim magna ex parte leniorum purgantium in medicina usus debetur; Tamarindos Mannam, Cassiam, sennam, primi adhibuerunt, sacchari per coctionem confiendi modum invenerunt, ejusque usum per syrups & conservas introduxerunt. Hisce lenioribus adduntur Passulæ, Pruna; Tartari tremor, crystalli; gummi galbanum, Sagapenum, Opopanax, Ammoniacum; Sal Ebsamense, aliaque varia.

## §. 15.

Haec (§. 13. 14.) ad leniorum purgantium classem reduci solent. Obtinuit etiam alia distinctio, scilicet in eccoprotica & purgantia in specie dicta.

(*α*) Eccoprotica, siue alvum lenientia vel laxantia, dicuntur, quae ventrem parum turbantia, vix quicquam expellunt, praeter ea quae in ventriculo & intestinis continentur; qualia sunt ea fere, quae (§. 13. 14.) recensita.

(*β*) Purgantia in specie dicta rursus, pro variis, quos e corpore eliminare credebantur, humoribus, ab antiquis in quatuor classes dividebantur, & quidem.

1º. In Cholagogia sive bilem eduentia, haec sunt mitiora, ut Aloë, Rheum, Scammonium, Myrabolani, Cassia, Manna, Tamarendi, succi fructuum maturorum, aliaque (§. 13. 14.)

2º. Phlegmagoga, prioribus fortiora, sic dicta, quod pittitam lentam, tenacem evacuent; qualia sunt, inter ea quae (§. 10. 11.) habentur, Colocynthis, Euphorbium, Agaricum, Radices Bryoniae, Jalappæ, Mechoacannæ, Turbith, & gummi (§. 14.)

3º. Hy-

(*e*) Le Clerc Hist. de la Medec. p. m. 771. Freind. Hist. Med. p. m. 315.

3o. Hydragoga, sive Aquam expellentia, inter quae rursus recensentur Radices Jalappae, Mechoacannae, Bryoniae; dein Gummi Gutta, Esula, Elaterium, Soldanella, Ebulus, Praeparata varia Mercurialia.

4o. Tandem Melanagoga, sive bilem atram expurgantia, ut Epithymum, Helleborus niger, Lapis Armeniacus, Lazuli, Polypodium & Senna.

Ultimo adduntur his Panchymagoga, sive quae universales corporis humores evacuant, ex dictis composita, ut Extractum Catholicum, Extractum Panchymaggoum Crollii, aliaque.

§. 16.

Haec purgantium distinctio (§. 15. β.) inde natā, quod veterum medicorum plurimi, medicamentis vim singulares humores attrahendi tribuerint; hinc ubi pituita lenta vel atra bilis peccabat, purgans Phlegmagogum vel Melanagogum exhibendum esse censebant. Haec itaque selectus origo. Huic porrò opinioni favere videbatur coloris varietas, in excretiōnibus alvi post assumptum medicamentum alvum evacuans, observata.

Antiquorum tamen multi hanc rejecerunt, inter quos methodici purgantium usum damnantes; non enim (inquit Coelius Aurelianus (f)) *ratione quadam tacita, veluti animal sentiens, posterit medicamen utilia relinquere, & ab his quae contra naturam sunt ac detrahenda, separare.*

Hippocratem quidem electivam purgationem statuere contendunt; hanc tamen non ita ponit, quin simul alienorum succorum evacuationem admittat; dicit enim manifeste (g); quod sicuti planta attrahit e terra primō succos naturae suae convenientes, dein alienos, sic etiam medicamentum, v. g. bilem purgans, hanc primō attrahat, dein actione ejus diutius durante, evacuet etiam pituitam, post pituitam bile matram, & tandem sanguinem; adeoque asserit medicamentum assumptum succum naturae suae convenientem primo educere, dein etiam reliquos purgare.

Quod

[f] Acut. morbor. Lib. 2. cap. 9. p. m. 91. (g) Hipp. Lib. de nat. homin.

Plura hac de re vid. apud Pechlinum (b). Quod ad dejectionum colores attinet, hi a purgantibus particulis dependent, quae oscula lacteorum non subeuntes, tingunt humores sibi obvios in intestinis, eoque determinatos, sic ab ingesto Rhabarbaro excretiones per alvum tinguntur colore flavo; a Jalappa, Scammonio, Elaterio, evacuationes aquosae prodeunt, a Senna, Cassia, Chalybeatis, colore nigrante deprehenduntur (i) Licet ergo concludere, medicamenta cum delectu humoris non purgare. Inde tamen non sequitur, purgantium deletum esse plane superfluum, quaedam enim lenius, alia violentius agunt; hinc ratione temperamenti, vel virium aegri, ipsiusve purgantis, haec vel illa erunt feligenda.

(b) de Purgant. cap. 25. (i) Tournefort de la matière médicale livr. 1. Sect. 1.; Pechlin de Purgant. c. 2.

## C A P U T Q U A R T U M.

### *De Principio purgante, ejusque agendi ratione.*

Determinare in Medicamentis purgantibus ad ultimum quo proximè Cathartica constituantur, difficultate non caret. Priscorum quidam dixerunt, purgantia hanc coelitus sortita esse facultatem, naturam enim singulis rebus singulas indidisse proprietates; Medicamenta humores purgare, sed naturam inchoare, limitare & dirigere eorum actiones; evacuationem esse naturae opus, sed medicamentum esse naturae artificis instrumentum. Hinc de principio purgante minus solliciti, dum videbant v. g. Scammoneae radicem alvum solvere, se videre quod satis est putabant, licet ignorarent quid ad purgandum posset (k). Ubi tandem accuratius in facultatem purgantem inquisitum fuit, hanc alii in principio salino, alii in sulphureo sive resinoso posuerunt. Conveniunt multi, pur-

(k) Cicer. de Divinat. Lib. 1. cap. 10.

gantium virtutem potissimum a sale dependere: *Agunt laxantia, inquit Cl. Fr. Hoffmannus (l), principio quodam salino stimulante dulci, ut Manna, Cassia, Passulae, Polypodium, vel sale quodam subtiliori sulphureo amaricante terreo, ut Aloë & Rhabarbarum, vel sale acido fibras vellicante, ut Tamarindi, Cremonae Tartari, Sal Acetosellae, vel sale neutro, ut Nitrum, Borax, Sal Gemmae, Sal digestivum Sylvii, Arcanum duplicatum, Tartarus Vitriolatus, salia ex medicatis aquis producta & Herbarum essentialia, vel sale quodam calcario amaricante, ut Ebسامense, Egranum, Sedicense, vel denique terra calcaria, ut Magnesia, quae ab acido primarum viarum soluta, in sal neutrum acre & stimulans transit.*

## §. 18.

*Quod ad Purgantia in specie dicta spectat, Cl. Boulduc, qui plura examinavit, postquam viderat, quaedam pauco aut vix ullo principio resinoso, sed salino purgante plurimo aut ferè solo gaudere, ut Colocynthis (m), Helleborus niger (n), Gratiola (o), Rhabarbarum (p), Mechoacanna (q), Bryonia (r), Elaterium (s), asseruit sales aequi aptos esse ad virtutem purgantem exserendam, ac resinae. Observavit etiam Extracta purgantium merè resinosa, mediante spiritu vini facta, violenter & cum irritatione agere; Extracta merè salina, e residuo extractionis cum spiritu vini, parum purgare & diuresin excitare; quae vero ex aqua parantur, tam resinosa quam salina principia continentia, cum salinum sufficientem copiam resino-  
fi secum rapiat, lenius operationem suam perficere (t), quoniam resinae solae adhaerent villis intestinalibus, hinc tormina, tenesmos, aliaque symptomata excitant, sed sales solvunt resi-  
nas, & dicta praecavent.*

## §. 19.

(l) Med. Rat. System. Tom. 13. Sect. 2. cap. 5. §. 3. (m) Memoires de l'Academie Royale des Sciences An. 1701. (n) Ibid. An. eod. (o) Ibid. An. 1705. (p) Ibid. An. 1710. (q) Ibid. An. 1711. (r) Ibid. An. 1712. (s) Ibid. An. 1719. (t) Memoires de l' Academie Royale de Sciences An. 1701. 1702. &c.

## §. 19.

Patuit ex dictis (§. 17. 18.) purgantium vim potissimum ab eorum stimulo esse deducendam; hoc intestinorum tunicas stimulant, humores, naturaliter in horum cava fluentes, majori copia alliciunt, sed etiam sanguinem velocius circumagunt; fortiora si fuerint, utroque modo operantur (*u*): ingrediuntur enim Cathartica sanguinem per notas vias, oscula scilicet vasorum, resorbentium, lacteorum, sic velocitatem ejus augent, ob additum stimulum, humores attenuant & solvunt: constat 1º. ex caloris augmento, pulsuque frequentiore, post assumptum medicamentum alvum ducens (*v*); 2º. ex latice urinoso a certis purgantibus variè tincto, colore flavo a Rhabarbaro, nigro vel rufo viridescente a Cassia (*x*); 3º. constat etiam ex subseguente catharsi ab externè applicatis alvum moventibus, ut unguento, quod habet Colocynthidem, umbilico illito (*y*); frictione mercuriali ad pedes, saepe Diarrhoeas excitante (*z*); 4º. injectione ex croco martis, Senna, Rhabarbaro, in hominum brutorumve corpora, Thoracis cavum scilicet, cum brevi suborta alvi ductione (*a*); 5º. aut infusione medicaminum, vi purgante praeditorum in venas eundemque effectum fortitorum (*b*). 6º. aut lacte nutricis quod post assumptum catharticum, vires ventrem solventes in infantem ubera iugentem exerit.

## §. 20.

Viae per quas naturaliter efflidunt humores in cavitatem fistulae intestinalis, sunt 1º. Ductus Choledochus, bilem utramque cysticam, hepaticam effundens (*c*) 2º. Ductus Wirsungianus (*d*), succum pancreaticum educens; 3º. Emissaria glandularum intestinalium Peyer detectarum (*e*); & 4º glandula-

(*u*) Freind Commentar. de febrib. p. m. 210. 211. (*v*) Idem Ibid. aliisque. (*x*) Memoires de l' Academie R. des Scienc. An. 1701. (*y*) Hofmann. Med. Rat. System. Tom. 3. Sect. 2. cap. 5. §. 4. (*z*) In Praelect. Boerhaav. de virib. Medicament. p. m. 316. (*a*) Ibidem. (*b*) Lamswerde in Appendix ad Sculteti armament. chirurg. p. m. 79. &c. (*c*) Boerhaav. Instit. med. §. 97. 98. (*d*) Bartholin. Anatom. reform. Lib. 1. cap. 13. (*e*) Peyer. Parerg. 1. Icon. 12. 3.

dularum Brunneri, maxime in duodeno conspicuarum numerosarum (*f*) ; ad has (nº 3º. 4º. hujus) referri debent pori grandes (*g*) ; Ruyschio observati (*b*), hos enim Cl. Boerhaave, dum viveret Praeceptor meus, vir omni laude superior, in intestinis, ipsius Ruyschii manu praeparatis, saepe diuque examinatos, extremitates emissariorum ex folliculis glandularum Peyeri, Brunneri, esse reperit. 5º. Sunt & fistulae aquosae (*i*), sive arteriarum extremitates apertae, namque materiem ceraceam in intestinalium cavitatem transmittunt (*k*). [6º. Praeterea deglutitur saliva, mucus oris, saucium, oesophagi, liquor gastricus, etiam in fistulam intestinalem derivantur. (*l*)

## §. 21.

Humores (§. 20.), in statu naturali vel subtiliori chylo misti, vel ubi nullus suppetit chylus, soli, subeunt oscula vasorum lacteorum, venarum absorbentium, in intestinalium cavum hiantum (*m*) ; reliquæ alimentorum non solubiles (*n*) ; cum recreementis humorum admistorum (*o*), in intestinalia crassa delatae, constituunt fæces naturales, eliminandas. Exhibito purgante, hinc simul accidente stimulo (§. 19.) haec liquorum copia (§. 20.) non amplius ita resorbetur, saltem maxima parte dimittitur, pars in sanguinem ingrediens eum fundit, colliquat, affluxus in intestinalium cavum augetur, oscula emissariorum, extremarum arteriarum, patentiora redduntur, tunica muscularis, cerebris spasmis contracta, subjectarum glandularum succum exprimit, hinc naturali multo major evacuatio. (*p*)

## Ex-

(*f*) Brunner. in Tr. Experimentis novis circa pancreas subjunctis p. m. 184. 186. (*g*) Boerhaave Instit. Med. §. 91. (*b*) Epist. 31. & multis alijs locis. (*i*) Boerh. Instit. Med. §. 91. (*k*) Ruysch. Thes. 6. no. 33. aliisque locis. (*l*) Boerh. Inst. Med. §. 1209. (*m*) Idem ibid. §. 105, 106. (*n*) Idem ibid. §. 108. (*o*) Idem ibid. §. 112. (*p*) Peyer parerg. r. p. m. 36.

## §. 22.

Excretionem hanc ad calculos revocavit Cl. Freind (*q*) sequenti ratione. Intestinorum superficies, cum ea cutis compara-  
rata, plus quam dimidii rationem habet; sed cum glandulæ sint  
in cute numerosiores quam in intestinis, saltem, quod facilli-  
mē dari potest, concedatur intestinorum ad cutem ratio, ea  
proportione, quam habet 1. ad 4.; ergo si per cutem unius horæ  
spatio excernantur scrup. 48., eodem tempore per intestina  
scrup. 12. evacuabuntur. Arteriæ Mesentericæ sunt ad basin  
Aortæ ut 1. ad 10., sed qualibet hora unc. 4000. sanguinis in  
Aortam pelluntur, ergo eodem spatio unc. 400. in Mesenteri-  
cas Arterias derivabuntur. Sed naturalis excretio per glandu-  
las intestinales est scrup. 12. hinc cum excretio quæcunque so-  
la velocitatis regula sit metienda, si sanguinis velocitas sit du-  
pla, una hora unc. 800. sanguinis in mesentericas deferentur,  
ergo excretio glandularum intestinalium erit scrup. 24., si velo-  
citas sanguinis triplo increscat, excretio dicta erit scrup. 36. si  
nunc vasorum excernentium diametri duplo maiores frant, cum  
circuli eandem habeant inter se rationem, quam diametrorum  
quadrata, excretio erit quadruplo copiosior, id est scrup. 144.,  
ergo duodecies excedet quantitatem naturalem; adeoque octo  
horarum spatio unc. 48. elici poterunt. Ostendit Jac. Kei-  
lius (*r*), quod naturaliter dr. ij. bilis horæ spatio in duodenum  
fluant; si tripla sit sanguinis velocitas, excretio erit triplo co-  
piosior, ergo octo horarum spatio unc. vi. bilis excernuntur.  
Præterea succus Pancreaticus continuo deducitur in duodenum,  
eadem ratione auctior. Sed quantopere incrementa hæ excretio-  
nes, auctis simul vasorum diametris.

Hinc si morbus intestinis insederit, vel vehementior purga-  
tio, motus sanguinis æquo celerior, vasorum ora ampliora, e-  
rit excretio longe copiosior; quod confirmat Cl. Auctor exem-  
pli

C 2

(*q*) Comment. de febrib. p. m. 209. & seq. (*r*) Tentam. Me-  
dic. Physic., Tentam. quarto de secret. animal. p. m. 72.

pto Choleræ, stimulo admoto per fructus horæos, incredibilem humorum copiam elicente.

Conferantur etiam super hac re ea quæ habentur in Cl. Boerhaavii Prælectionibus *de viribns medicamentorum.* (5)

(5) Cap. 3. de purgant. per alvum p. m. 232. & seq.

## C A P U T Q U I N T U M.

### *De Purgantium Effectu.*

#### §. 23.

**E**x dictis (§. 19. ad 23.) purgantium effectus intelliguntur, namque præter alvum eyacuantes, plures alias vires possident.

#### §. 24.

1°. Purgantis stimulus, fibrarum nervosarum sentientium extremitates afficit, sensum ingratum molestumque excitat, stimulat vasa & ad secretiones urget; hinc in ventriculo quandoque vomitum ciet, in intestinis per inferiora pellit.

2°. Determinat spiritus animales ad hæc loca majori copia, per par neuorum intercostalium, plexum mesentericum superiore & inferiore.

3°. Hoc stimulo intestina sic vellicantur, ut se contrahant, exprimant contenta in glandulis, vasis intestinalibus, his inanitis facilior novo liquido ingressus conceditur, minuitur ergo resistentia vasorum, plus liquidi in ea recipi potest.

4°. Purgantis partes sanguinem ingredientes (§. 19.) ejus motum accelerant; motu velociore facto, major liquidi copia in vasa minus resistentia (nº. 3°. hujus) propellitur.

5°. Partes hæc (nº. 4. hujus) humores attenuant, resolvunt,

fun-

fundunt, ut versus intestina delati, facilius secernantur, & in ea effundantur.

6°. Hinc affluxus humorum in partes superiores & externas minuitur.

7°. Motu a partibus superioribus & externis ad interiores & inferiores directo, scilicet ad intestina per arterias mesentericas, promovetur simul humorum transfluxus per glandulas intestinales, ultima vasa aperta, vasorumque oscula dilatantur.

8°. Cum venae mesentericae careant valvulis, & in intestinis sint apertae, minuta resistentia ad intestina, aucta ad alias partes, etiam huc evacuari poterunt.

9°. Educuntur ergo hac via, non tantum ea, quae naturaliter in intestina deferuntur, continentur, faeces, flatus, vermes &c., sed etiam diversa ex qualibet nostri corporis parte, materies atrabiliaria vasorum & viscerum hypochondriacorum; materies purulenta quaecunque ex abscessu, hepatis, lienis, pancreatis, aliarumque partium, per ductus proprios, vasas sanguis, ejus materies serosa, aliaque; sic ut omnis ferè corporis humor huc derivari queat.

10°. Inde purgatio revellit, excretiones per alias vias, & copiam liquidi, minuit.

11°. Tandem evacuatione exhaustum corpus debilitatur, eductis partibus fluidioribus, attenuatis, remanens incrassatur, corpus exsiccatur, fiuntque plures effectus alii, ex dictis facile deducendi. De hisce omnibus vid. Cl. Viri, Boerhaave (t), Freind. (u), aliisque.

### §. 25.

Observantur effectus (§. 24.) a purgantibus fortioribus vehementiores, a laxantibus leniores, placide enim & absque commotione magna-excitata agunt, leniorique stimulo dicta perficiunt; hinc Drasticis plerumque præferuntur, nisi forte indicantia fortiora postulent; quidam tamen, etiam ubi validiore opus est evacuatione, malunt laxantium dosin augere, quam anterioribus uti catharticis.

CA-

(t) Instit. Med. §. 1209. & Prælect. de virib. Med. I. c. (u) Com. ment. de febrib. I. c. & in Emmenologia.

## CAPUT SEXTUM.

*De Purgantium Indicantibus.*

§. 26.

**A**ppelet ex praegressis (§. 24.) Purgantia magni & multiplicis esse usus, in variis affectibus, pro diverso medentis Scopo; eaque haud spernendos edere effectus, data apto tempore, nullisque obstantibus gravioribus contra indicantibus, simulque adhibitis illis, quae praesentis morbi natura requirit, sive ante sive post alvi evacuationem. Agredior itaque quosdam affectus, quibus medicamenta cathartica optimam praestare operam, ex praestantissimorum Practicorum observatis constat; omnes enim perlustrare arcti, quos in hac Dissertatione mihi praescripsi, limites, non sinunt.

§. 27.

Quae materies, haerens in intestinis aliisque visceribus australis sub Diaphragmate, ea replet, obstruit, morbumque facit, vel eundem fovet, indicat sui evacuationem, commode medicamentis alvum ducentibus perficiendam.

Hinc in febribus intermittentibus, ubi abundantis colluviei in primis viis signa adsunt, hanc auferunt purgantia, ex Aloë, Scammonio, Rhabarbaro cum stibio sale polychreste; vel ex compositis, pilulis Cochiae majoribus, Pulvere Cornachino & Scammonio stibio diaphoretico & cremore tartari constante, hic præ caeteris commendato; data sex vel septem horis ante febrem, & ubi purgans operationem peregit, sedantur motus ab eo excitati exhibito opio, antequam Paroxymus incipiat (v). Haec non solum evacuant, sed movent, resolvunt:

(v) Boeth. Aphor. 759.

optimi inde observati fuere effectus, tertianac frequentius sannatae, nec non quartanae, praeter hybernas pertinaces. A pulvere Cornachino parum differt pulvis Diacelatesson Helmonii (*x*), qui similiter exhibitus ante paroxysmum, secundum ipsum auctorem asseritur tollere febrem quartanam ante quartam dosin, & reliquas intermitentes. Magnus Sydenham (*y*), in febribus intermittentibus tertianis autumnalibus, quatuor horis ante paroxysmum provocabat sudorem, dein Diaphoretica purgantibus mixta propinabat, ut sic non tantum per alvum, sed etiam per sudores pelleret, quos protrahi jubebat, donec elapsae essent horae aliquot a tempore, quo febris incipere debuisset, his contrariis motibus excitatis, felici cum successu, excitato febrili calore non amplius reddituro, praevertobat frigus, ipsamque morbi materiem simul eliminabat.

## §. 28.

Morbus Hypochondriacus, cum sedem suam habeat in visceribus sub hypochondriis sitis, hepate, liene, pancreate, omento, mesenterio, eorumque vasis, cu[m]que arteriae extendantur, venae fiant varicosae, & totum horum vasorum sistema atro sanguine turget; materies haec in intestinorum canum derivata (§. 22. 24. no. 1. 3. 7. 8. 9.) poterit per inferiora expelli. Sed monet Hippocrates, materiem movendam prius fluxilem esse reddendam, antequam expurgetur (*z*); ergo praeparanda. Lente mobilis redditur, adhibitis saponaceis, acrimoniae praesenti, per sua signa cognitae, oppositis, fundente potius quam stimulante vi praeditis, succis scilicet recens pressis fructuum horaeorum maturorum; mororum, ribesiorum, cerasorum &c. vel melle, Manna, Cassia, Tamarindis, non ut purgantibus, sed ut humores fundentibus, in usum trahendis; decoctis graminis, herbarum lactescientium; aquis mineralibus Spadanis, Aquisgranensibus; salibus ex cineribus plantarum, neutrīs &c. primo parcus datis, sensim adscendendo, donec signa doceant materiem fusam moveri. Hac itaque sic

præ-

(*x*) Boerh. Chem. Tom. 2. p. 527. (*y*) Oper. p. m. 92. (*z*) Aphorism. 9. Sect. 2.

## DISSERTATIO MEDICA

praeparata, tunc, secundum Hippocratis praeceptum, videntur quo natura vergat, eo enim ducenda; si locus fuerit conveniens (*a*); ergo si materies ad inferiora derivatur, alius erit ducenda blandis Eccoproticis, passulis, prunis, cremore tartari, sero lactis, quod lubricat, laxat, detergit, aut similibus. Sic subducitur materies nigrescens, scabra, arenosa, & obstrunctiones hepatis, lienis, vasorumque hypochondriacorum referantur (*b*). Tandem corporis robori prospicitur.

## §. 29.

Succedit cura feliciter in foeminis macilentis, quibus strictus alvus, & quae post partum a colo, faecibus siccis, duris, obstructo languent, in Melancholiam incident, exhibitis laxantibus, Eccoproticis, quibus solis pristinae sanitati restituuntur. Nec levem praestant operam in Cachexia, lenia purgantia amara (*c*); ex Rhabarbaro, Aloë cum croco & Myrrha, quibus saburra primarum viarum expurgatur, defectus bilis suppletur, sic concoctionum organa integritate restituntur, datis dein roborantibus, ut corpus bonum sanguinem conficeret atque nutriti possit. Conveniunt etiam in Rachitide Cremor tartari, Cassia, tamarindi, maximè Rheum, ut educatur saburra (*d*). Conducunt quoque in tumoribus Abdominis infantum, post longas febres intermitentes. (*e*).

## §. 30.

Infantes recens nati multis exponuntur malis a Meconio retento, hinc provido naturae consilio factum, ut lac maternum, primis diebus magis serosum laxans, virtute polleat faeces, tempore quo foetus latitavit in utero materno, collectas eluendi; si verò mater ubera non praebeat infanti, si debilis sit, ut meconium expellere nequeat, stimuletur alvus (*f*) Syrupo Cichorei cum Rheo, melle albo, Cassia, Manna; vel Rheo &

(*a*) Aphor. 21. sect. 1. (*b*) Boerhaav. Aphor. 1101. (*c*) Boerhaav. Aphor. 1177. Hoffmann. Med. Rat. systemat. Tom. 3. Sect. 2. cap. 5. §. 3. (*d*) Boerhaav. Aphor. 1489. (*e*) Sydenham. oper. p. 100. (*f*) Boeth. Aph. 1346.

& saccharo in pulverem impalpabilem contritis, cum lacte exhibitis. In Infantibus, ubera fugentibns, lac coagulatum, acre acidum redditum, corrigitur, expellitur, antacidis purgantibus mixtis (*g*), v. g. lapidibus cancerorum cum Rheo, aliisque. Infestantur dein Vermibus, magna mala patraturis, ni abigantur; hinc necandi, eliminandi, purgantibus amaris, Phlegmagogis, mercurialibus (*b*), videlicet Rhabarbaro, Scammonio, mercurio dulci grosso modo trito, ut tantum agat in intestinis, nec ingrediatur sanguinem.

## §. 31.

Indicantur etiam ab alvi fluxu, affectione coeliaca, Diarrhoea, Dysenteria (*i*); ubi intestinorum laxitas; oscula venarum lactearum, mesentericarum, obstructa liquorem intestinalem non absorbent; acre ex ductibus arteriosis excretoriis, humores allicit. Purgantia lenia, v. g. Catharticum lenitivum Sydenhami, constans ex Tamarindis, Senna, Rheo cum Manna & Syrupo rosaceo, aliaque, intestina in crebriores contractiones cident, ova venarum imbibentium aperiunt, acre edificant; sicque reliquis convenientibus non neglectis, causam malii tollunt.

## §. 32.

Locum habent quoque leniora in ipsis acutis initio data, in nausea febrili, ubi causa est acre biliosum putridum in vacuum ventriculum pulsum (*k*); talia sunt, Tartari tremor, crystalli, sal prunellae, pulpa Cassiae pulpa Tamarindorum cum tremore tartari mista, levat haec morbos putridos, non movet sicut nec debilitat; hinc apud Asiaticos Tamarindi maximo sunt in usu, non solum ubi longiora suscipiunt itinera per loca arida aquis saepe parentia, sed etiam in febribus ardentibus, putridis, biliosis, Tamarindos magna copia cum saccharo in aqua solvunt, aegris potandos praebent, namque refrigerant, situm omnium maximè restinguunt, humoresque commode & jucunde subducunt (*l*).

## §. 33.

(*g*) Boerhaav. Aph. 1356. (*b*) Idem Aph. 1372. (*i*) Sydenham oper. p. m. 183. & seqq. Freind. comment. de febrib. p. m. 214. & seq. (*k*) Boerh. Aph. 644. (*l*) Prosper Alpin. de Plantis Aegyptior. lib. 4. cap. 5. Tournefort de la matiere medicin. lib. 1. cap. 2.

## §. 33.

Praeterea cathartica insigniter prosunt, quatenus humores minuant, revellunt, lento*s*, stagnantes solvunt, fluxiles reddunt, ad partes inferiores derivant, febrem excitant, excretiones per alia loca, morbive causam, minuant.

## §. 34.

Sic purgantia in ipsa inflammatione (*m*), sunt usus non contemnendi, non neglectis tamen requisitis; nam motum humorum ad intestina dirigunt (§. 24. n<sup>o</sup>. 7.) hinc minor est impetus sanguinis in partem inflamatam (§. 24. n<sup>o</sup>. 6.) ; sed etiam humores solvunt, per intestina evacuant, minuitur ergo copia liquidorum vasa distendentium, ut rursus se contrahere & obstructum expediri possit. Cathartica in hoc casu convenientia vid. in Cel. Boerhaav. *Mat. med.*

In Phrenitide Diarrhoea lente superveniens bona est (*n*) ; licet ergo naturam imitari, excitando alvi fluxum per purgantia, sed talia quae humores non valde movent, tamen solvunt, derivant ad intestina, educunt, qualia sunt Antiphlogistica (*o*), Decoctum Tamarindorum cum cremore tartari vel corundem infusum cum saccharo methodo Asiatica (§. 32.), serum lactis cum cremore tartari, Decoctum pronorum, aut similia, quae exhiberi debent donec Diarrhoea sequatur. In Angina inflammatoria conducunt, inter alia purgantia (*p*) ex scammonio saccharo mixto aliisve, per os sumptis, si adhuc deglutire valeat aeger, ut alvo fortiter ducta obtineatur revulsio a partibus superioribus affectis: si vero deglutire nequeat, haec clysmate promovenda.

## §. 35.

Cum Apoplexiā fortē tollere sit impossibile, levem vero sanare difficultissimum, secundum Hippocratis effatum (*q*), hinc si oritura praevidetur ex suis signis, omni ope nitendum ut praecaveatur, quantum quidem fieri potest. Si sanguinea accessum minatur, commendantur, post venaesectionem, purgantia Antiphlogistica ex cremore tartari, Tamaridis,

(*m*) Boerhaav. Aphor. 396. & 398. (*n*) Boerh. Aphor. 779.  
(*o*) Idem Aphor. 781. (*p*) Idem Aphor. 809. (*q*) Aphor. 42. Sect. 1.

manna, senna &c. copiose hausta, repetita, clysmate cito derivata, ubi horum operatio segnior; sic excitetur Diarrhoea assidua. In causa frigida, lenta, praeervationis gratia convenienter praecedentibus fortiora. Locum habent, quatenus humores a capite ad partes inferiores derivant, solvunt, evacuant, horumque in vasa cerebri pressionem minuunt. Ubi vero ab effusis intra cranium liquidis, cerebrum comprimentibus, orta, peracta Venae sectione tentandum, an humores per alvum evacuante medicamine quicquid in capite extravasatum, resolvi, in venas vacuatas retropelli & resorberi queat.

Ubi causa est abundans lympha in cerebri ventriculis extravasata, fortia hydragoga, Scammonium, resina Jalappae, revellendi, lympham minuendi scopo exhibentur (r). Haec eadem ratione in Angina aquosa conferunt.

#### §. 36.

In affectibus melancholicis (s), materies atrabiliaria terrestris oleosa diluitur, resolvitur, expellitur, succis fructuum horaeorum maturorum, mellitis, oleribus, aquis mineralibus; omni enim cura innitendum, ut incidat aeger in lene initium Diarrhoeae, quae sustinenda.

Scorbutus requirit purgantia (t), quae laxant, attenuant, detergunt, interim tamen non valde stimulant, movent, turbant; ut sal polychrestus, manna, Cassia, Tamarindi, Cristalli & Cremor tartari in lacte tenui; resistunt putredini, & vascula tenuissima a ruptione praeservant.

#### §. 37.

In hydrope ascite, si vires aegri ferant, viscera & vasa adhuc sint bona, humores nondum corrupti, purgantibus (u) fortioribus hydragogis saepe repetitis, statim effusae aquae expulsio tentatur, persistendo donec fuerint evacuatae, prae-  
cavendo ne rursus colligantur. Fortiora autem in hoc morbo requiri-

(r) Boerh. Aph. 1020. & seq. (s) Idem Aph. 1092. seq. (t) Idem Aph. 1169. (u) Boerhaav. Aph. 1247.

requiruntur (*v*) ; hinc commendantur hoc scopo Cortex Medius , semina , succus Sambuci , & Ebuli , Jalappa , ejus resina Scammonium , Elaterium , Electuarium hydragogum Sylvii , aliaque. Horum usu forte sic evacuabuntur vasa , ut aquas stagnantes , per resorbentia haurire possint , haec enim est ratio cur adhibeantur.

## §. 38.

Tota Gonorrhoeae virulentae curatio in eo consistit , ut virus conceptum exeat eadem via qua intravit ; hinc praeter fomenta , injectiones , convenient cathartica humores fundentia , e toto corpore ad inferiora derivantia , evacuantia , ne quid venerei facile misceatur sanguini ; hinc , secundum Sydenhamum (*x*) , omnis curationis cardo in purgantibus vertitur.

## §. 39.

Natura quandoque sanat Paralyzin impacti solutione per febrem supervenientem , aut eductione per Diarrhoeam (*y*) ; eadem praestant purgantia (§. 24. N°. 4. 19.) hinc hydragogis valde solventibus impactum expediendum , dein corpus corroborandum.

## §. 40.

In suppressione mensium ubi nullus est sanguinis defectus , sed humores lenti , stagnantes , vasa uterina capillaria materie lenta obstructa ; secundum monitum Hippocratis (*z*) , jubentis ut semper in menstruorum suppressione ante purgationes fomenta praemittantur , his balneisve uteri vasa relaxantur , ut minus resistant liquido impulso ; dein catharticis exhibitis humores adhuc magis ad uterus derivantur , haec enim indicantur , teste Hippocrate (*a*) , & dantur pro scopis (§. 24. N°. 4. 5.) notatis (*b*). Inter Purgantia uterina prae caeteris commendantur Pilulae Russi ex Aloë , Croco , & Myrrha.

## §. 41.

In narium haemorrhagia , ubi simul acredo quaedam in humoribus suberat , dedit Sydenhamus (*c*) laxantia , quae non tantum evacuandi , sed etiam revellendi , hinc effluxum pernaes minuendi , scopo prodeste potuere.

Tan-

(*v*) Sydenham. oper. p. m. 485. 486. (*x*) Idem oper. p. m. 332.  
(*y*) Boerhaav. Aph. 1064. (*z*) De morb. mulier. (*a*) Aphor. 35. Sect. 5. (*b*) Boerh. 1291. Freind Emmenolog. (*c*) Oper. p. m. 285.

Tandem prosunt etiam Purgantia , quatenus causam minuunt, corrigunt & avertunt, ut in Cancro (*d*); nam licet non sanent, tamen leniunt.

## §. 42.

Ex paucis hoc usque allatis, satis constat usum purgantium late se extendere ; adhibebantur haec ab Hippocrate praecipue in morbis chronicis, in acutis etiam, sed caute, nec ita frequenter. Magnus ille vir leges purgationis servandas nobis reliquit sequentes : *Concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque in principiis, nisi turgeant; plurima vero non turgent* (*e*). Hinc antiquorum ductus exemplo, qui, Celso teste (*f*), medicamentis quibusdam datis, concoctionem moliebantur, eo quod cruditatem maxime horrebant; jubebat, ut corpus facile fluens redderetur (*g*), humectando, meatus aperiendo, humores diluendo, meabiles & mitiores reddendo, ut apti essent ad exitum, antequam aeger purgaretur : Per principium morbi intelligebat tempus, in quo omnia adhuc sunt cruda, id est, quatuor primos dies (*h*), Convenit hoc cum illa Aegypti lege, cuius mentionem fecit Aristoteles (*i*) & qua caustum erat medicis movere humores, aut purgare, ante quartum morbi diem. Signa bonae evacuationis erant illi sequentia; si a purgatione bene habet aeger, humor peccans purgatus; si pejus habet, materies morbosa non est vacuata (*k*): hinc non judicabat de bono effectu ex quantitate, sed ex qualitate materiei dejectae & subsequente effectu (*l*). Signum, purgans exhibuit expulisse qualia & quanta expelli debebant, errat sitis, justae purgationis nota (*m*). Haec de indicantibus sufficient. Ultimo loco tantum addam, quod ab exhibitis catharticis, etiam lenioribus (*n*), hypercatharses quandoque oriantur, quae tamen, pro natura purgantis exhibiti, plerumque facile fistuntur, acidis, spirituosis, adstringentibus, maxime opiatis (*o*).

(*d*) Boerh. Aph. 507. (*e*) Hipp. Aph. 22. Sect. 1. (*f*) Lib. 3. cap. 4. (*g*) Hipp. Aph. 9. Sect. 2. & Aph. 70. Sect. 7. (*h*) Idem de vietu rat. in morb. acut. (*i*) Politic. Lib. 3. cap. 15. (*k*) Hipp. Aph. 2. & 25. Sect. 1. & Aph. 2. & 3. Sect. 4. (*l*) Idem Aph. 23. Sect. 1. (*m*) Idem Aph. 19. Sect. 4. (*n*) Sydenham. oper. p. m. 485. (*o*) Sydenham. oper. p. m. 186. Boerh. Instit. Med. §. 1216.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Purgantium Contraindicantibus.*

§. 43.

**Q**uandoquidem a purgantibus, quantumvis necessariis, & rite in usum vocatis, optimos effectus edentibus, multa tamen inducta fuisse mala, testantur Practici; ubi scilicet præpostere exhibita fuere; hinc, ut hæc vitemus, diligenter attendendum est ad ea, quæ hujus medicamenti usum prohibent, nam quæ in eodem morbo, præsentibus indicantibus profundunt, iisdem absentibus, aut aliis obstantibus, effectus sæpe mali, imo funesti quandoque, esse deprehendantur.

Hinc multi usum purgantium, fortiorum præsertim, damnant; Medicamenta stomachum feré lœdunt inquit Celsus (*p*); Observat quoque Hippocrates, quod sanis corporibus purgantia pessimè cedant (*q*): rejicit Celsus usum crebriorem purgantium (*r*), & advertit Hoffmannus (*s*), Draistica frequentius assumpta induxisse cachexias, hydropses, affectus hypochondriacos, inflammations ventriculi, paralyses aliaque mala. Perlustremus itaque breviter ea, quæ purgatione uti non sinunt.

§. 44.

Non convenient cathartica, ubi vires nimis labefactæ, corpus enim debilitant (*§. 24. n°. 11.*); nec ubi nimia adest plethora, nam motum humorum per vasa augment, hinc rarescunt, majus occupant spatium, vasa magis distendunt, ruptioni ansam præbere possunt, hinc plethora prius minuenda venæ seccione: nec ubi imminet, aut jam fit evacuatio critica per alias vias,

(*p*) Lib. 2. Cap. 12. (*q*) Aph. 36 sect. 2. (*r*) Lib. 1. Cap. 3.  
(*s*) Med. Rat. syst. Tein. 3. sect. 2. Cap. 5. §. 4.

vias, quoniam, contrarium excitando motum, naturam in suo opere turbarent: nec in fluxu alvi colliquativo, materie acri cacoehymica vasa rodente, aut hernia incarcerata, aut inflammatione primarum viarum, ventriculi; intestinorum, quoniam stimulo suo molum augerent.

## §. 45.

In intermittentibus febribus, si nulla faburræ in primis viis collectæ signa adfuerint, adhibita purgantia morbum vel diuturniorem reddent, vel ipsam mortem accersere valebunt (*t*); fluidiora enim absumunt, crassiora relinquunt; hinc Expertissimus Sydenham observat (*u*), quod purgante vel vomitorio una vel altera vice assumpto, in tertianis, quartanis, symptomatibus periculosis æ gri exponantur, in infantibus & ætate florentibus febres non tantum longiores, sed etiam peores reddantur, ætate vero proiectiores in mortis periculum conjiciantur.

## §. 45.

Purgantia fortiora non conducunt in morbo hypochondriaco (*v*), fluidioribus enim eductis, crassum nocens remanet; nec in scorbuto, *acria evauantia*, inquit Celeb. Boerhaave (*x*), *semper hunc morbum exacerbant*, & saepe reddunt incurabilem. Podagrīcī quoque cathartica malē cedere obseruavit Sydenhamus, siquidem materiem podagrīcam ex articulis in corpus retrpellunt (*y*): notavit etiam purgantia, & si Lenia, tamen saepe paroxysmum accersere, nisi laudanum insuper assūmatur (*z*). Monet porro, ne evauantia hæc adhibeantur post febres quartanas usu Corticis Peruviani debellatas, propter recedivæ metum. (*a*)

## §. 47.

Hæc sunt quæ de purgantibus proponere constitueram. Nullam Emeticorum mentionem feci; quamquam notaverint aucto-

(*t*) Boerh. Aph. 761. (*u*) Sydenham oper. p. m. 84, 85. 95.

(*v*) Boerh. Aph. 1100. (*x*) Boerh. Aph. 1159. (*y*) Sydenham oper. p. m. 447. (*z*) Ipm oper. p. m. 555. (*a*) Idem oper. p. m. 306, 305.

ctores, in quibusdam casibus, pro circumstantiarum ratione, quandoque purgantibus esse præferenda, ut in febribus intermittentibus, aut in Rachitide, cum infantes vomitoria facillime ferant; vel emetica purgantibus esse subjungenda, si hæc speratum effectum non fuerint sortita, ut in nausea febrile a causa putrida orta: haec autem volens prætermisi, ut potè qui tantum de purgantibus per alvum eram acturus. Restat ut addam, quod si materiem hanc pro rei dignitate non pertractaverim, si auctorum, quos evolvi, sensum non semper asscutus fuerim, id Tyroni mihi, legibus tamen Academicis satisfacere cupienti, condonetur.

F I N I S.



COROL.

# C O R O L L A R I A.

I.

*Cathartica cum delectu humoris non purgant.*

II.

*Purgantia sunt etiam vomitoria.*

III.

*Non tantum agunt in intestinis, sed etiam ingrediuntur sanguinem.*

IV.

*Velocitatem sanguinis augent.*

V.

*Attenuant & resolvunt.*

VI.

*Non tantum humorem intestinalem absorbendum educunt, sed etiam alios ex toto corpore in intestina derivant.*

E

V I L

MSA  
10400

COLLOQUIA  
VII.

*Optimè revulsionis scopo conveniunt.*

VIII.

*Hippocrates non tantum Draſtico, ſed etiam  
leniora, Eccoprotica, adhibuit.*

AEN

AEN DEN HEERE  
PHILIPPUS DOUW,

*Ter gelegenheit van deszelfs bevordering tot Doctor in  
de Medicynen, te Leiden den 24. July 1739.*

KLINKDICHT.

**D**E mensch, terwyl hy moet door veele ziekten quynen  
Zoo lang hy 't brosse kleedt der sterflykheit hier draegt,  
Wert door de middels der Geneeskunst onderschraegt,  
Waer toe natuur volop geeft kruit tot medicynen:

Dit wisten 't Joodsche Volk, de Grieken en Latynen,  
Geluk 't geschiedboek melt, dat van den lot gewaegt  
Der zulken, die te recht in d'eedle Kunst geslaegt,  
Als heldre lichten nogh voor 't Nageschachte schynen.

Tree toe, MYN HEER, en ga op 't reeds gebaande  
spoor,  
Volg hen die vroeg en laat u rustigh gingen voor,  
En schift de valsche glimp der Kunst van 't waere wezen;

Opdat aldus uw vlyt, met oordeel en verstant  
Gepaert, ten nutte zyn mag van uw Vaderlant:  
Zoo werde uw wetenschap door alle tyt geprezen.

R. A. H. Hag. Bat.

AEN DENHEERE

# PHILIPUS DOW

Deel volgenkens van deel van  
de Historie van den Yngel 123.

## KLINTENDICHT.

De meesten, temelyk van moest doortreke sijckelse deneven  
Soe juugt dat 't profeet propheet dat vrydyspeis niet gheve  
Want goot des middeles dat Gecrekeveldt en godicheit  
Want toe munt aenop Bocle vryde tot beschieting:

Die wifken, 't looghe Vomme, dat Gecrekeveldt  
Geske, 't Begeheidepoek mette dat vroo den jor Begeheide  
Des hoffen, die te leeft in den Kruy Bellinger,  
Vre people micren leeg, voort, 't M'gelijsche Rijden,

Tre toe, MYN HEER, tot dat ob, 't lecke Begeheide  
Upoer,

Want dan die Alouc cu last in luydigheit gheven voort,  
En loopen dat aelijcke ghemel dat Kruy van 't weete wezen

Och dat alouc nu alre, wat oorloech cu verlynt

Gedreest, dan hauec dat land van den Vergerent:

Soe wante na weertengheghoort vliec 't Begeheide.

J. A. H. T. 1870.